



COLLOQVIVM SEPTIMVM

Persōnae: Dōrippa, Lȳdia, Mēdus

Dōrippa, quae amīca Lȳdiae est, amīcam suam interrogat: “Quis
est amīcus tuus?”

Lȳdia respondet: “Amīcus meus est Mēdus.”

Dōrippa: “Estne vir Rōmānus?”

Lȳdia: “Nōn Rōmānus, sed Graecus est amīcus meus.”

Dōrippa: “Habitatne Rōmae?”

Lȳdia: “Mēdus nōn Rōmae, sed prope Tūsculum habitat.”

Dōrippa: “Quid est Tūsculum?”

Lȳdia: “Tūsculum est oppidum in viā Latīnā nōn procul ā Rōmā.
Mēdus in vīllā prope Tūsculum habitat.”

Dōrippa: “Villamne habet amīcus tuus?”

Lȳdia: “Nōn Mēdus, sed dominus eius habet vīllam.”

Dōrippa: “Āh! Servus est amīcus tuus! Meus amīcus, Lepidus,
nōn est servus. Pater eius vīllam habet et magnam pecūniā.”

Lȳdia: “Mēdus bonus servus est et bonus amīcus, quī mē sōlam
amat.”

Dōrippa: “Cūr amīcus tuus Rōmam ad tē nōn venit?”

Lȳdia nōn respondet.

Dōrippa: “Quia in vīllā multae sunt ancillae fōrmōsae...”

Lȳdia: “Quid?”

Dōrippa: “Amīcus tuus nōn sōlum tē, sed etiam ancillam amat!”

Lȳdia: “Tacē, Dōrippa!”

Pulsātur ḍostium.

Lȳdia: "Intrā!"

Mēdus ḍostium aperit et intrat.

Mēdus: "Salvē, mea Lȳdia! Ecce amīcus tuus,
quī sōlus Rōmam ad tē venit."

Lȳdia: "Ō amīce, salvē!"

Mēdus laetus ad Lȳdiam adit et eī multa ḍoscula
dat. Lȳdia verbīs et ḍosculīs Mēdī dēlectātur.

Lȳdia: "Ecce Dōrippa. Salūtā eam!"

Mēdus sē vertit ad Dōrippam eamque salūtat: "Salvē, Dōrippa!"

Dōrippa Mēdum salūtat: "Salvē, serve!"

Mēdus Lȳdiam interrogat: "Estne Dōrippa ancilla tua?"

Lȳdia: "Dōrippa nōn est ancilla, neque amīcus eius servus est."

Mēdus: "Neque tuus amīcus servus est, Lȳdia."

Lȳdia: "Quid? Ubi est dominus tuus?"

Mēdus: "Iūlius in vīlā est apud servōs suōs — neque is iam
meus dominus est!"

Lȳdia laeta sē vertit ad Dōrippam: "Audī, Dōrippa: amīcus
meus iam servus nōn est."

Dōrippa: "Neque ancilla est amīca tua!"



Dōrippa īrāta per ḍostium exit. In viā ante ḍostium
videt Lepidum, amīcum suum. Lepidus autem
Dōrippam nōn salūtat neque ab eā salūtātur,
nam is cum ancillā fōrmōsā in viā ambulat!
Lepidus ancillae ḍosculum dat!

Dōrippa discēdit. In oculīs eius lacrimae sunt.



1. Quis est Dōrippa?

2. Ubi habitat Mēdus?

3. Estne Tusculum prope Rōmam?

4. Habetne vīllam amīcus Lydiae?

5. Estne servus amīcus Dōrippae?

6. Quam amat Mēdus?

7. Quid dat Lyiae Mēdus?

8. Ubi est dominus Mēdī?

9. Quem videt Dōrippa cum per ūstium exit?

10. Cūr lacrimat Dōrippa?

Answer the following in English:

How does Dorippa compare and contrast boyfriends with Lydia?

Why does “Lydia non respondet” on page 18?

What does Dorippa suggest about Medus’s behavior at the villa?

Why does Dorippa say what she says immediately before leaving Lydia’s house?

How does the ending of this colloquium call back to the beginning?
